



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An semina vivant Animâ Vegetativâ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

crescens in altum, & pedibus, unguibus & cæteris corporis partibus præterquam cornibus agnum exprimens, vorat herbas, quibus circumdatur, quæ etiam percussa sanguinem è vulnere emittit, & appetitur à lupis, uti agnus, unde vocatur agnus Scythicus. Item quoddam detur in Hybernia arbor cujus fructus & frondes in mare desiduæ, convertuntur in anates; imò & quædam alia, cujus folia lapsa, habent parvos pedes, & rependo se movent. Si autem hæc vera sint, merito dubitare poterimus, an tales plantæ non sint plantæ animales, id est, vegetativæ & sensitivæ simul.

D V B I V M I I I.

An semina vivant animâ vegetativâ?

Ante Resolutionem
VIII. Suppono per plantarum semina hic intelligi nucleos illos, qui in medio fructuum includuntur, non verò bulbos, quos vivere animâ vegetativâ ipsorum radices & fibræ, quibus alimentum attrahunt, satis significant. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

IX. **D**ico: semina plantarum non vivunt animâ vegetativâ.

Probat 1^o, ex Aristotele de generat. animalium lib. 2^o. cap. 3^o. qui indifferenter agens de quovis semine, ait, *Semen non vivere actu, sed potentia*, ergo, &c.

X. Probat 2^o, semen animalium non vivit, ergo nec plantarum, consequentia tenet à pari; quia sicut illud non est continuum cum reliquo vivente, ita nec hoc: Ergo, &c.

XI. Obijcies tamen 1^o, semen modico humore affuso statim germinat, ergo vivit animâ vegetativâ.

XII. Respondeo negando consequentiam, quia hoc fit, quia continet actionem egressam à planta, à qua decisum est, productivam (positis nonnullis conditionibus, ut humore affuso) animæ vegetativæ. Vide dicta lib. 2. Physicor. Disp. 3. Dub. 1^o. an causa possit agere non existens, & Disp. 6. Dub. 2^o. an accidens possit producere substantiam.

XIII. Obijcies 2^o, fructus plantarum vivunt animâ vegetativâ, sed multa semina sunt fructus, ut amygdala, castanæ, &c. Ergo, &c.

XIV. Respondeo distinguendo minorem; sed multa semina ut semina & secundum nucleum præcisè sunt tales fructus, nego minorem; ut fructus & secundum nucleum quatenus tectum Bulbo aut cortice illa in extremitate arborum per modum globuli pendente, concedo minorem; verum illud non est semen discontinuum ab arbore, sed quidpiam cum illa continuum; unde decipitur P. Comptonus dum hic Disp. 3. Sect. 3. dicit, semen plantæ vivere, quia crescit & augetur, sicuti reliquæ partes plantæ, propter quod semper fibræ quibusdam unitur plantæ, quibus mediis alimentum ab ea fugit, illudque per venulas quasdam per omnes suas partes dispensari; ad enim solum verum est de fructu in quo semen aut nucleus recipitur; quia semen plantæ per juxtapositionem crescit, sicut semen animalis, ut diximus.

D V B I V M I V.

An Anima Vegetativa sit divisibilis?

Ante Resolutionem
XV. Suppono animam hominis, contra Stoicos, non esse formaliter divisibilem, aut ex plu-

ribus partibus integraliter compositam: nam (utpote spiritus juxta illud Lucæ 13. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*; & ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum*) est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis; alioqui abscisso capite, remaneret pars animæ in illo, & postea, vel desineret contra animæ immortalitatem, vel esset extra corpus in coelo, si in statu gratiæ; vel in inferno, si in mortali: ex quo fieri posset, quoddam idem homo partim esset in coelo, partim in inferno, quod est absurdum. Dicere autem quoddam illa pars se uniret cæteris partibus non est probabile, quia alioqui deberet extendi extra corpus, vel informare partes jam informatas, quæ etiam sunt absurda. Quoddam verò caput hominis abscissum saltet, mordeat, &c. non fit quia pars animæ in capite remanet, vel quia (ut docet D. Fromondus de Anima lib. 1^o. cap. 4^o. art. 3^o. & lib. 4^o. cap. 2. art. 3^o.) anima in duobus locis replicata manet, cum sola interruptione unionis: nam 1^{um} dicere nefas; 2^{um} autem mihi improbabile, quia caput modico tempore, inde mille leucis translatum eodem modo saltaret & morderet, unde mille leucarum & amplius deberet esse sphaera localis animæ rationalis; quod non probat, sed quia motum in caput, talem vel talem, tantæ vel tantæ durationis ante discessum impressit: juxta dicta lib. 2. Phys. Disp. 3. Dub. 1^o. Resol. 4. quoddam autem alii id refundant in revolutiones spirituum vitalium ex abscissione, minus mihi probabile est; quia illi spiritus exanimés, non possunt se ita movere, nec saltus sive motus spirituum possunt esse ab alio, quam ab anima; si verò anima tales spiritus moveat, cur potius caput non movetur unde ulterius patet ad 2^{um} solutionem D. Fromondi, quam locus citatis adfert.

R E S O L U T I O I.

XVI. **D**ico 1^o, anima vegetativa tantum, ut plantarum, & vegetativa & sensitiva simul imperfectorum animalium, est formaliter divisibilis.

XVII. Probat 1^a Pars, quia in ramis à trunco abscissis est vita (nam folia & flores producant); ergo & pars animæ. Probat 2^a Pars, quia tota prior anima in illis esse non potest, ne alioqui sit simul in pluribus locis distantibus & discretis: nec etiam alia recenter producta est, quia probabilis dicitur animam plantarum esse divisibilem, quam recurratur ad causam, nescio quam, istius animæ totalis productivam, ut defendatur esse indivisibilem.

XVIII. Confirmatur à fortiori ex probatione 2^a partis, & alioqui eadem ratione dicerem formas elementorum esse indivisibiles & novas totales produci in singulis partibus post separationem ab invicem.

XIX. Probat 2^a Pars, quæ est ferè æque certa ac præcedens, in utraque parte lacertarum aut vermium inter-scissorum est vita, nam se localiter movent & tacti tactum sentiunt, quæ in spiritus vitales refundi non possunt, ut partim constat ex supposito, partim quia spiritus vitales non sentiunt, ergo est pars animæ, &c. ut supra.

Confirmatur ex Resolutione sequenti. Ex his
XX. Collige quoddam ramus abscissus vivens non dicitur arbor, pars lacertæ lacerta, &c. non esse ideo, quia non habent animam arboris, lacertæ, &c. sed quia per arborem intelligimus illant, quæ habet radices & fibras quibus alimentum fugat; per lacertam tale corpus organicum, habens caput, caudam, &c.